



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. I. An Christus de potentia absoluta peccare potuerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

ARTICVLVS PRIMVS.

An Christus de potentia absoluta peccare potuerit?

§. I.

Quibusdam premisiss referuntur sententia.

Suppono primò ut certam & indubitam veritatem fidei, Christum nunquam de facto peccasse: id enim innumera testantur Scripturæ loca: nominatim verò Isaia 53. dicitur Christum non fecisse iniquitatem, nec dolum fuisse inventum in ore ejus. Ad quem locum alludit S. Petrus Epistolæ 1. cap. 2. iisdem verbis Christi innocentiam commendans, nisi quod pro iniquitate apud eum habetur peccatum, ut liqueat Christum non modò non admisisse gravem culpam, qualem vox iniquitas in communi usu sonat, sed prorsus nullam, alioquin peccatum fecisset, quod negat Apostolus. Habetur etiam ad Hebræos 4. Christum tentatum fuisse per omnia pro similitudine, absque peccato. Quæ verba perspicuè excludunt à Christo peccatum. Et capite 7. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Denique ipse Christus se accusatorum & hostium judicio permisit dicens, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quod Sanctus Chrysostomus homilia 24. in 1. ad Corinthios, magnæ esse securitatis docet.

Missâ facio loca quædam quibus innocentia Christi non nisi allegoricè traditur, ut quæ S. Chrysostomus homil. 5. ex variis in Marthæum locis profert de serpente super petram non relincente vestigia, quod ad Christi innocentiam aptat. Item quod Psalm. 90. dicitur, *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* quod idem Chrysostomus accipit de Christi humanitate, nullo unquam peccato temerata, tanquam flagello diabolico procul abacto. Similiter quod habetur Exodi 25. de arca veteris testamenti compacta ex lignis quæ putrescere non poterant, & auro purissimo intus & extra contexta, quod ad Christi humanitatem, nullius peccati putredini obnoxiam, & charitate intus & extra veluti auro purissimo rutilantem, refert Eustachius Antiochenus, oratione in illud, *Dominus pascit me.* Docet etiam Isidorus Pelusiota libro 1. Epistolâ 193. quod Jacob hædorum pellibus contextus, ac paternam benedictionem consecutus, Christum significavit, qui peccato obnoxiam naturam citra peccatum suscepit, ac vitiosos ipsius affectus in seipso interemit; & Sanctus Maximus sermone de Paschate, de Christo exponit illud Psalmi 88. *Ponam in faculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli.* Quod sic glossat:

» [Quis est dies cæli, nisi Christus Dominus de
» quo dicitur per Prophetam, *Dies diei erigatur*
» *verbum*: ipse enim dies Filius, cui Pater dies, di-
» vinitatis suæ eructat arcanum. Ipse, inquam, est
» dies qui ait per Salomonem, *Ego feci ut oriretur*
» *in cælo lumen indeficiens.* Sicut ergo diem cæli
» nox omnino non sequitur, ita & Christi justitiam
» peccatorum tenebræ non sequuntur. Semper
» enim dies cæli splendet, lucet, & fulget, neque
» aliquâ potest obscuritate concludi, ita & lumen
» Christi semper micat, radiat, coruscat, nec ali-
» quâ potest delictorum caligine comprehendere, un-

A de ait Evangelista Joannes: *Et lux in tenebris lu-
cet, & tenebra eam non comprehenderunt.* De-
nique sponsa in Canticis pulchritudinem spon-
describens, ipsum ait esse candidum, & rubicun-
dum, ac electum ex millibus, quod Ricardus Vi-
etorinus interpretatur de Christo, qui candidus
est propter innocentiam, rubicundus ex ardore
charitatis, vel ex sanguine in passione fuso, &
electus ex millibus, quia solus fuit sine peccato
inventus.

Ratio etiam quam D. Thomas hic art. 1. addu-
cit, id apertè declarat: Christum enim nisi
propter tria assumpsit defectus nostros, scilicet ut
pro nobis satisfaceret, ut veritatem humanæ na-
turæ comprobaret, & ut nobis fieret exemplum
virtutis: Sed ad nullum horum potuit peccatum
conducere: Ergo nullum assumpsit peccatum. Ma-
jor patet, Minor verò quoad singulas partes pro-
batur. In primis enim peccatum non potuit ad sa-
tisfaciendum conducere, cum potius impediat
virtutem satisfactionis. Nec ex illo demonstratur
veritas humanæ naturæ, non enim est humanæ
naturæ conforme, sed potius contra illius inclina-
tionem. Nec tandem potest virtutis exemplum
esse, cum contrarietur virtuti. Peccatum ergo
actuale vel habituale nullâ ratione potuit in Chri-
stum cadere, præsertim cum ipse idcirco venisset,
ut peccatum destrueret, essetque agnus Dei tollens
peccatum mundi juxta Danielis prophetiam. Un-
de præclare S. Paulinus panegyri. de obitu Celsi.

Nam neque deleret culpas, nisi liber ab illis,

Nec laxare reos posset & ipse reus.

Nec peccatori mors cederet, utpote vinculum

Peccati vinculis legitime retinens.

Eandem rationem eleganter prosequitur D.
Bernardus serm. 4. de vigilia Nativitatis, his ver-
bis: *Ecce agnus sine macula, agnus qui tollit pec-
cata mundi. Quis enim peccata melius tolleret,
quàm is in quem peccatum non cadit? Iste sine du-
bio lavare me potest, quem constat inquinatum non
esse. Hac manus opertum luto detergat oculum
meum, quæ sola sine pulvere est. Iste mihi festu-
cam educat de oculo, qui non habet trabem in suo.*
Imò iste trabem educat de meo, qui nec exiguum
pulverem habet in suo.

Patrem inter & humanum genus inimicitia in-
tercedebant, quarum Christus destructor, & in-
ter Deum & homines mediator esse debebat: Non
igitur ex inimicis unus esse debuit, ne & ipse me-
diatore & conciliatore egeret. Moyses terram
promissionis intrare non potuit, sed Josue, qui ad
aquas contradictionis non peccavit. In quo no-
tatur quod oportebat humani generis liberato-
rem, & introductorem in cælestem Jerusalem,
esse sine peccato, ut egregiè observavit Step-
hanus Cantuariensis in cap. 27. Numerorum. Sum-
ma ergo Christi innocentia, & perfecta à quo-
cumque peccato immunitas, à nullo Catholico
potest revocari in dubium.

Nec obstant quædam Scripturæ testimonia, qui-
bus peccatum tribui Christo videtur, ut illud Psalm.
21. *Deus Deus meus respice in me, quare me de-
reliquisti? longè à salute mea verba delictorum
meorum.* Quæ verba David in Christi persona di-
xisse, extrâ controversiam est, cum ipse Christus
partem eorum in cruce protulerit; idèque D.
Augustinus hunc Psalmum, non tam prophetiam
cenfet appellandum, quàm evangelicâ historiam.
Cum ergo Christus verbis illis sua aliqua delicta
agnoscat, non videtur fuisse expers peccati. Simi-
leque est illud Psalm. 37. *A facie peccatorum meorum,*

quod de Christo dictum esse, admittit ibi S. Augustinus. Addi item potest locus Apostoli 2. Corinthi, 5. & ad Galatas 3, dicentis Christum factum esse peccatum & maledictum. Denique obijci potest, Christum voluisse à Joanne baptizari: hoc autem fuisset inutile & superfluum, si nullum peccatum habuisset, vel contraxisset, cum Luca 3. Joannes baptizasse dicatur in remissionem peccatorum.

6. Sed hæc vix responsione egent, locus enim Psalmi 21. & 37. facile exponitur dicendo Christum ibi tanquam humani generis fideiuflorem exponere aeterno Patri se propter delicta sua (quæ videlicet in se suscepit, suo sanguine & cruciatibus eluenda) longè fieri à salute corporis, & liberatione, quam ex naturæ inclinatione petebat. Ita hunc locum exponunt Nazianzenus orat. 36. Augustinus ad locum prolatum ex Psalmi 37. & ad titulum Psalmi, 8. Genebrardus, Bellarminus, & alij: quin etiam in Concilio Romano viginti Episcoporum sub Vigilio, ea expositio sub anathemate præcepta est can. 22. ut refert Turrianus in defen. libri 2. Constitutionum Clementis, ad caput 5.

7. Ad locum verò Apostoli ex 2. ad Corinthi, 5. ubi Christus dicitur factus peccatum, respondetur cum D. Augustino in Enchir. cap. 41. & cum D. Thoma hic art. 1. ad 3. eatenus dici Christum factum esse peccatum, quia hostia pro peccatis est factus, nam in antiqua lege, sacrificia pro peccatis dicebantur peccata, juxta illud Osee 4. *Peccata populi mei comedent.* Vel Christus dicitur factus peccatum, quia factus est in similitudinem carnis peccati, propter corpus mortale & passibile quod assumpsit.

8. Quod de baptismo additur omnino insulsum est, nam baptismus Joannis quem Christus suscepit, erat infirmum & egenum elementum. Et quamvis dicatur Joannes baptizasse in remissionem peccatorum, tamen id baptismus ille non nisi figuratè & dispositivè præstabat, commo- nendo videlicet hoc externo signo peccatores, ut lavarentur per contritionem, ac mundi fierent, Unde fatuè omnino à Felice Urgelitano assertum dicitur, Christum in baptismo Joannis quem suscepit, spirituali generatione, æquè ac nos in Christi baptismo, fuisse renatum; cum potius Christus baptizari voluerit, ut aquas ipsas ablueret, & nobis sanctificandis aptaret, seu ut vim regenerandi fideles ipsis tribueret, ut eleganter expendit Ambrosius serm. 18. his verbis: *Idèò baptizatur Christus, non ut sanctificetur ab aquis, sed ut ipse aquas sanctificet, & puritate suâ purificet fluentia illa quæ tangit: consecratio enim Christi, consecratio maior est elementi. Cum enim Salvator abluitur, iam tunc in nostrum baptismum tota aqua mundatur, & purificatur fons, ut securis postmodum populis lavacri gratia ministraretur.* Similia habet S. Maximus homil. 7. de Epiphania, ubi idcirco tantum baptizatum Christum ait, ut aquæ nostro baptismati consecrarentur, & S. Chrysostomus homil. in Præcurso- rem, ubi baptizatum à Joanne Christum ait, ut detergeret antiquum peccatum, & aperiret aquæ ac spiritus vulvam. Additque: *Cum Jesus descendisset in Jordanem, videre erat magnum miraculum, fontem in flumine lotum, & flumen in flu- mine baptizatum.*

9. Suppono secundo ut certum & indubitatum, Christum non solum nunquam de facto peccasse, sed nec potuisse de lege ordinaria peccare, quia e-

Tem. IV.

A rat beatus, & gratiâ plenus, à primo instanti conceptionis, propter conjunctionem animæ ejus ad Verbum: beatitudo autem, & gratiæ plenitudo, non possunt, de lege saltem ordinaria, cum peccato componi. Quod igitur in præsentī inquirimus, est an Christus, etsi non peccaverit de facto, nec de lege ordinaria peccare potuerit, de potentia tamen absoluta potuerit peccatum committere; non quòd Deus præbeat vires ad peccandum, vel ad illud suâ potentia speciali juvet, id enim omnes Theologi impossibile censent, aliàs author peccati esse posset; sed quòd utendo suâ absoluta potentia, auferat à Christo dona cum peccato repugnantia, v. g. beatitudinem, gratiam habitualementem, & supernaturales virtutes, vel talia dona non tribuat humanitati, ut potuit de potentia absoluta, in communi Theologorum sententia, eò quòd cum unione hypostatica essentiali connexionem non habeant. Unde sensus præsentis difficultatis est, an in casu quo Verbum humanitatem assumeret sine beatitudine, & sine ullo gratiæ dono, præter gratiam substantialem unionis, posset illius humanitas peccare in sensu composito unionis, hoc est unione cum peccato retentâ, vel in sensu diviso, hoc est unione per peccatum destructâ, eo modo quo homo justus potest peccare mortaliter, non peccato cum habituali gratia composito, sed gratiâ per peccatum destructâ.

C Qua in re tres reperio diversas Theologorum sententias. Prima asserit posse in eo casu Christum peccare in sensu composito unionis, hoc est unione non destructâ per peccatum, sed cum illo conservatâ. Ita Durandus in 3. dist. 12. quæst. 2. dicens, *in contrarium magis obistere verba devota, quam rationem efficacem.* Hunc sequuntur Nominales, præsertim Ocham, Almainus, & Marfilus. Scotus etiam & ejus Discipuli, nominatim Rada, & Faber, huic adherent sententiæ.

Secunda docet non posse quidem etiam de potentia absoluta, peccatum componi cum unione hypostatica; in sensu tamen diviso humanitatem Verbo unitâ sine visione beatifica, posse peccare, peccato destruentem unionem, non quidem ex natura rei, sed de potentia absoluta. Hanc tenet Hurtado hic disp. 19. & 60.

D Tertia quæ non solum apud domesticos, sed etiam apud extraneos communis est, defendit humanitatem Verbo unitam non posse etiam de potentia absoluta peccare, nedum in sensu composito, nimirum unione cum peccato retentâ, sed nec etiam in sensu diviso, nempe unione per peccatum destructâ. Hanc sententiam ita certam plures existimant, ut oppositam iudicent erroneam, & Capreolus dicat, *contra illam non esse agendum argumentis, sed flammis.* Qui autem mitius loquuntur, eam ad minus temerariam vel scandalosam censent. Sed quidquid sit de his censuris, à quibus abstinendum existimo, ut sancti Doctoris modestiam imitemur, veram omnino censeo sententiam, quæ Christum ex vi præcisè unionis hypostaticæ omnino impeccabilem esse affirmat, & oppositam SS. Patrum doctrinæ apertè repugnare, ut patebit ex dicendis §. sequenti.

§. II.

Prima conclusio statuitur, & autoritate SS. Patrum firmatur.

Dico primò: humanitas Christo Verbo unita peccare non potuit, etiam de potentia absoluta, peccato cum unione composito.

KKkkk iij

11. Probatur primò conclusio ex SS. Patribus, qui passim docent humanitatem Christi ex vi unionis hypostaticæ esse impeccabilem, subindeque censent peccatum non posse cum tali unionem componi. Eorum testimonia fusè & lato calamo profert Vazquez hic disp. 61. cap. 1. nos breviter ea exponemus.

In primis Hilarius libro 1. de Trinitate circa medium, asserit Christum non potuisse admittere peccatum, *dum Christus est, eo quòd qui Christus est, non potuit amittere quod Christus est.* Anselmus libro 2. cur Deus homo cap. 10. ait Christum idcirco non potuisse peccare, *quia non solum homo, sed etiam Deus erat.* Dionysius Alexandrinus in Epistola contra Paulum Samozatenum docet quod quia anima Christi erat Verbo Dei unita, incapax peccati fuit. Et addit quod si Christus non esset Deus, non esset alienus à potestate peccandi. Anastasius Sinaita cap. 2. dicit, *Sola (inquit) Christi mens, & sanctissima ejus anima, incapax, omnisque malitiæ nescia fuit, forma enim servi erat quæ regebatur & gubernabatur à Divino Verbo in eadem hypostasi sibi conjuncta.* Rupertus etiam libro de voluntate Dei cap. 11. ait quod humanitas Christi, non per creationem, sed per assumptionem facta est creatura talis quæ peccare non solum nollet, verum etiam non posset. Idque probat ex verbis Christi Joannis 5. *Amen amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem,* subdens: *Quid enim est quemquam à semetipso quidquam facere, nisi malum facere?*

Demum hanc veritatem eleganter expressit Augustinus, vel Author libri de Incarnatione Verbi, qui inter ejus opera habetur: nam libro 2. sub finem hæc scribit: *Massam, sicut in fornacibus sæpe fieri oculis deprehendimus, totam ignem effectam dicimus, quia nec aliud in ea nisi ignis cernitur; sed & si quis contingere atque contretare attentaverit, non ferri, sed ignis vim sentiet.* Hoc ergo modo etiam illa anima quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est: omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est. Et nec visibilis nec mutabilis dici potest, quia inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate, indesinenter ignita possidebat. Et mox: *Ista anima aliter oleo latuit, id est Verbo Dei & sapientiâ ungitur, & aliter participes ejus, id est sancti Prophetæ, & Apostoli. Illi enim in odorem unguentorum ejus cucurrisse dicuntur; ista verò anima vasculum unguenti ipsius fuit, ex cujus fragrantia participes digni quique Prophetæ & Apostoli fiebant.* Sicut ergo alius est unguenti odor, & alia est unguenti substantia: ita aliud est Christus, & aliud participes sui. Et sicut vas ipsum quod substantiam continet unguenti, nullum genus potest aliud recipere liquoris: ita anima Christi, velut vas in quo erat substantia unguenti, impossibile fuit ut contrarium reciperet odorem: participes verò ejus, quàm proximi fuerint vasculo, tam odoris erunt participes & capaces; & qui ex odore ejus participant, si se paulo longius à fragrantia ejus amoverint, impossibile est ut non incendant in odorem contrarium. Verba hujus libri Author descripsisse videtur ex Origene libro 2. Periarc. cap. 6. ubi similia leguntur.

12. Tam clara & expressa SS. Patrum testimonia conantur Discipuli Scoti eludere, dicendo SS. Patres his locis probare impeccabilitatem in Christo ex unionem substantiali ad Verbum, non

A quia ipsa sit essentialiter cum peccato incompof. fibilis, aut ratio formalis impeccabilitatis humanitatis Christi, sed quia ratione illius erant ipsi debita, debito congruentiæ, dona gratiæ & fruitio beatifica, ratione quorum illi repugnabat peccatum.

Verùm hæc solutio, ut dixi, mera elusio est, & 13. apertè menti SS. Patrum repugnat. In primis enim Dionysius Alexandrinus taliter attribuit impeccabilitatem Christo, ratione divinitatis, quod si non esset Deus, non posset esse alienus à potestate peccandi: At si esse Deum non esset ratio impeccabilitatis Christi, sed solum redderet debitam, debito congruentiæ, formam talisim. peccabilitatis, posset esse alienus à potestate peccandi, quamvis Deus non esset, dummodo beatifica visione frueretur, ut in aliis beatis de facto contingit: Ergo juxta Dionysium incapax peccandi cõvenit Christo ratione unionis formaliter.

Secundò, juxta Hilarium, Christus non potuit admittere peccatum, dum Christus est, eo quòd qui Christus est, non potuit amittere quod Christus est: Sed potuit manens Christus beatificà visione carere: Ergo ex mente Hilarij Christum non posse peccare, non ex beatifica visione, sed ex unionem hypostatica provenit.

Tertiò, juxta Augustinum, vel Authorem libri de Incarnatione Verbi: sicut unguentum vas replens, illud reddit incapax alterius liquoris, ita Verbum replens animam Christi, illam reddit incapacem peccati: Sed unguentum vas materiale replens, seipso formaliter illud reddit incapax alterius liquoris: Ergo pariter ipsum Verbum replens humanitatem Christi, formaliter illam reddit culpæ incapacem.

Quartò, Ideò operationes Christi, juxta SS. Patres, non possunt esse peccata, quia sunt actiones Theandricæ, id est Deiviriles, ut dicitur in 6. Synodo generali actione 8. & 11. & sæpe docuit D. Damascenus, præcipuè libro 3. de fide cap. 19. & 20. At quòd actiones Christi sint Theandricæ, seu Deiviriles, non habent ex beatitudine, sed ex vi præcisè unionis hypostaticæ: Ergo ad hanc solam causam reducunt SS. Patres impeccabilitatem Christi, & non ad beatitudinem animæ ejus.

Denique, Si impeccabilitas Christi solum à visione beatifica proveniret, sequeretur SS. Patres, quotquot de impeccabilitate Christi egerunt, deceptos fuisse, nec veram illius causam assignasse, siquidem nullus illorum ad beatitudinem recurrit, quæ juxta Adversarios est vera & sola causa impotentia peccandi in Christo, sed ad unionem hypostaticam, quæ, ut ipsi contendunt, non est vera causa illius; unde si vera sit Adversariorum sententia, SS. Patres assignarunt non causam pro causa, cum, omisâ visione beatificâ, docuerunt Christum ratione unionis hypostaticæ esse impeccabilem: Sed hoc asserere temerarium est, & SS. Patribus injuriosum: Ergo &c.

§. II.

Prima ratio fundamentalis nostræ conclusionis exponitur.

14. **N**ostræ conclusioni non solum favent testimonia SS. Patrum, sed plures etiam rationes efficaces eam demonstrant. Prima sic potest proponi. Verbo Divino ex vi unionis humanitatis ad ipsum, incumbit obligatio gubernandi humanitatem, eamque in officio continendi, ac proinde si humanitas assumpta peccaret, ejus

peccatum Verbo in seipso attribueretur: Sed implicat Verbum in seipso peccare: Ergo etiam implicat humanitatem assumptam peccare peccato cum unione composito. Minor patet, Major autem in qua est difficultas sic ostenditur. Quoties duo uniuntur in aliqua natura vel persona, inferior naturaliter subordinatur superiori, & consequenter superior tenetur inferiorem regere & gubernare: Sed ex vi unionis humanitatis ad Verbum, natura humana & divina conveniunt in una Christi persona: Ergo ratione hujus unionis tenetur divina natura gubernare & regere humanam, & consequenter peccatum humanitatis unitæ tribueretur Verbo, nedum ut subsistenti in humanitate, sed etiam secundum se, & prout in divinitate subsistit.

15. Confirmatur primò: Quia corpus est inferius animæ, & per unionem conveniunt in una & eadem natura, ex tali unionem induit anima obligationem corpus regendi: Sed humanitas est inferior divinitati, & ex vi unionis hypostaticæ convenit cum deitate in eadem Christi persona: Ergo ex vi unionis incumbit divinitati specialis obligatio gubernandi humanitatem. Unde sexta Synodus generalis actione 8. postquam asseruit, animam Christi, nullum in se naturalem motum excitare, nisi ad nutum Verbi sibi hypostaticè uniti, sic verbis Nysseni concludit: *Quemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectu & rationali anima nostra: ita in homine Christo, tota humana ejus conspersio, ab ejusdem Verbi Divinitate semper & in omnibus mota, Deo mobilis fuit.*

Confirmatur secundò: Cum in una & eadem natura conveniunt superior & inferior potentia, incumbit tali naturæ obligatio regendi potentiam inferiorem, per potentiam superiorem; ut constat in natura humana, quæ naturali obligatione tenetur per voluntatem regere & gubernare appetitum inferiorem: Ergo pariter cum duæ naturæ conveniunt in una & eadem persona, confurgit in illa obligatio regendi inferiorem, per superiorem naturam; & consequenter Verbo, in quo ex vi unionis humanitatis ad ipsum conveniunt natura divina & humana, incumbit specialis obligatio regendi & gubernandi naturam humanam, per divinam, subindeque peccatum humanitatis unitæ attribueretur Verbo, non solum ratione voluntatis humanæ, sed etiam voluntatis divinæ.

17. Confirmatur tertio: Longè arctior est conjunctio Verbi cum sua humanitate, quam mariti cum uxore, patris cum filio, domini cum servo, cum hæc non sint uniones physicæ, qualis est Verbi conjunctio cum humanitate: Ergo multò magis est Verbi Divini dirigere in omnibus suis operationibus, & à tanto malo, quantum est malum culpæ, avertere efficaciter humanitatem assumptam, quam viri sit dirigere uxorem, & à peccato avertere, pro facultate; itemque quam sit patris familias & domini dirigere filios & servos, & eorum, quantum possunt, impedire peccata, peccaturi ipsi nisi id faciant, juxta illud Salviani libro 7. de providentia: *Potestas magna & potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri; si sciens patitur perpetrari. In cujus enim manu est ut prohibeat, jubet agi, si non prohibet committi.*

Hanc rationem insinuat Ambrosius libro de Incarnatione cap. 7. his verbis: *Qui alios regebat, se regere ipse non poterat? Ubi humanæ Christi voluntatis impeccabilitatem, refert ad re-*

gimen Verbi. Et Epiphanius in Anchorato, ubi sic ait: *Quia Verbum virtute sua frenabat inferiorem naturam, ab omni inutili carnali turba, &c.* Ubi causam impeccabilitatis tribuit Verbo inferiorem naturam frenanti. Illam etiam indicat Anastasius cap. 21. ubi hæc scribit: *Confitemur etiam animam & corpus, quæ Verbo hypostaticè unita sunt, Verbo subjici, simulque cum omnibus proprietatibus suis a Verbo magis regi ac duci, quam ulla alia creatura eidem subjiciatur, & ab eodem regatur, cum longè arctius cum Verbo conjuncta sint, quam ulla alia res creatæ.* Hanc demum rationem tradit Sanctus Thomas in 3. distinctione 12. quæstione 2. articulo 1. in corpore, & ad Annibaldum eadem distinctione, quæstione unicâ articulo 3. ubi ait humanitatem Christi ideo non potuisse peccare, quia fuit instrumentum Divinitatis eam moventis; Divinitas autem non potuit illam ad malum movere. Quæ doctrina non sic accipienda est, ut humanitas in omnibus suis actibus propriè fuerit instrumentum divinitatis; sed quia sicut instrumentum non agit, nisi ut subordinatum principali agenti; ita humanitas Verbo unita, in omnibus actionibus divinitati ut regenti gubernantique subdebatur: eo autem ipso quod humanitas, ex vi unionis hypostaticæ, isto modo divinitati subdatur, non potest peccare, nisi ejus peccatum Deo ut specialiter moventi tribuatur. Unde Vazquez mentem Sancti Doctoris, & hujus rationis vim non penetravit, dum illam ut vulgarem & parvi momenti desepit.

§. IV.

Aliâ ratione probatur nostra conclusio.

Potest etiam suaderi conclusio aliâ ratione quæ utuntur communiter nostri Thomistæ, & cum illis Suarez, & alij ex Patribus Societatis, licet illa pariter displiceat Vazquezio, cui solum ingenij sui inventa placent. Potest autem hæc ratio sub hac forma breviter proponi. Si posset humanitas assumpta peccare, peccato cum unione hypostatica composito, posset suppositum Verbi ut subsistens in humanitate peccare: Consequens est falsum: Ergo humanitas assumpta non potest peccare peccato cum unione hypostatica composito. Sequela Majoris probatur: Actiones sunt suppositorum vel subsistentium, ut commune axioma docet: Sed suppositum humanitatis assumptæ, est suppositum Verbi quatenus in illa subsistens: Ergo si posset humanitas assumpta peccare peccato cum unione ad Verbum composito, posset Verbum ut subsistens in humanitate peccare.

Respondet Vazquez post Durandum, ex eo quod humanitas unita Verbo, retentâ unione, peccaret, solum sequi Verbum denominativè peccare, non autem effectivè, nec amplius ratione facta convinci, cum enim communi axiomate asseritur actiones esse suppositorum, non ideo dicitur, quia suppositum ut quo vel ut quod influat in operationes naturæ, sed quia sustentat naturam proximè operantem ut quo & ut quod: unde actiones dicuntur suppositorum, non elicitivè, sed tantum denominativè; ex quo solum sequitur, humanitate Verbo unitâ peccante, fore peccatum Verbo attribuendum denominativè; in quo nulla repugnantia, nec indecentia invenitur, sicut nec in eo quod Verbum in humanitate subsistens mortuum, crucifixumque dicatur.

Verum hæc solutio & doctrina Vazquezij mul-

tipliciter potest convelli. In primis enim dicere Verbum ut subsistens in humanitate peccare denominativè, seu per communicationem idiomatum, pias aures offendit, & à majori Theologorum parte non admittitur, licet concedant Verbum in humanitate subsistens posse dici seu denominari mortuum & crucifixum: Rationem verò discriminis assignat D. Thomas suprà quæst. 1. art. 1. ad 3. ubi ait quod mors, sicut & quodlibet aliud malum poenæ, à Dei iustitia est introductum, propter gloriam ipsius Dei; malum verò culpæ seu peccatum committitur per recessum ab arte divinæ sapientiæ, & ab ordine divinæ bonitatis; & ideo licet nulla sit indecentia quod verbum in natura assumpta, seu ut subsistens in humanitate, per communicationem idiomatum, passum, crucifixum, & mortuum denominetur, est tamen moralis indecentia, quod Verbum, etiam ut in natura humana subsistens, denominativè, seu per communicationem idiomatum, peccare dicatur.

21. Confirmatur: Prædicata naturæ humanæ, quæ per se primò conveniunt supposito, si habeant repugnantiam cum hypostasi seu persona Verbi, non possunt de illa etiam per communicationem idiomatum prædicari; hac enim ratione docet S. Thomas has propositiones esse falsas, *Christus est creatus vel creatura. Christus incipit esse.* & similes: Sed peccare est prædicatum habens repugnantiam cum persona Verbi: Ergo non potest de illa, etiam per communicationem idiomatum, enunciari.

22. Secundò, Juxta hujus solutionis doctrinam, humanitate Petri peccante, suppositum Petri solum peccat denominativè, nam ut ait Vasquez actiones dicuntur suppositorum, non elicitive, sed tantum denominativè; & tamen humanitate Petri peccante, suppositum ejus dicitur simpliciter & absolute peccans, & peccato infectum: Ergo si Verbum ut in humanitate subsistens, dici posset denominativè peccare, simpliciter & absolute peccans, seu peccato infectum, appellari poterit, quod piæ aures abhorrent.

23. Tertiò, Hæc propositio, *Verbum ut in humanitate subsistens pro nobis meruit & satisfecit*, est vera in proprietate sermonis, & in rigore, non minus quam ista, *Christus nos redemit & satisfecit pro nobis*, & tamen juxta doctrinam Vazquezij, Christus, seu Verbum ut subsistens in humanitate, solum denominativè satisfecit & meruit, cum juxta illum actiones non sint suppositorum elicitive, sed tantum denominativè: Ergo quod humanitate assumptæ peccante, Verbum ut in illa subsistens, denominativè tantum peccaret, non tollit quod hæc propositio, Christus, seu Verbum ut subsistens in humanitate, peccat, sit vera in rigore & proprietate sermonis.

24. Denique, Falsum est quod operationes non sint suppositorum activæ, seu elicitive, sed denominativè tantum: Ergo prædicta solutio falso nititur fundamento. Consequentia patet, Antecedens probatur ex Concilio Florentino sess. 18. in qua Joannes Theologus ex hoc communi Philosophorum effato, *Actiones sunt suppositorum*, probat, assentiente Concilio, Spiritum Sanctum à Filio procedere, & essentiam in divinis non generare, sed Patrem, ratione essentiae: At Pater non denominativè tantum, sed etiam elicitive ut quod generat, mediâ essentiâ ut principio quo generandi: Ergo actiones sunt suppositorum, non solum denominativè, sed etiam elicitive.

25. Nec valet quod respondet Vazquez, nimirum

A rationes Conciliorum non esse de fide, imò aliquando niti falsis principiis, ut constat ex 7. Synodo, ubi quidam ex Patribus, cum Hæreticis disputans, ut probaret Angelos depingi posse, assumpsit principium falsum, nempe Angelos esse corporeos. Non valet, inquam, nam rationes Conciliorum, etsi de fide non sint, magnæ tamen sunt autoritatis, nec fas est illis contradicere, sine urgenti fundamento, & nisi ex eis aliquod sequatur absurdum: Ergo licet ex prædicta autoritate veritas propositionis nostræ, ut de fide certa non habeatur, non potest tamen negari, vel in dubium revocari.

B Addo quod Joannes Theologus principium illud assumpsit ut Philosophis commune, & nullus ex Patribus vel Latinis, pro quibus disputabat, vel Græcis, contra quos agebat, in contrarium reclamavit; imò Græci argumento Joannis Theologi convicti, Spiritum Sanctum à Filio procedere confessi sunt: Ergo illud principium ab universali Ecclesia, tam Græca, quam Latina, tacite saltem fuit approbatum, licet expresse definitum non fuerit.

§. V.

Alia rationes breviter exponuntur.

C Pater duas rationes jam expostas, quæ præcipuæ sunt & fundamentales, tres aliæ superpetunt, quibus breviter suaderi potest nostra conclusio. Prima est: Gratia habitualis justificans, non solum ex natura rei, sed etiam essentialiter pugnat cum peccato mortali, eò quod sit formalis aut specialis participatio divinæ naturæ, & sanctitatis increatæ, ut in Tractatu de Justificatione docuimus, & colligitur ex verbis illis 2. Joannis 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius* (scilicet gratia sanctificans) *in eo manet, & non peccare potest, quoniam ex Deo natus est.* Sed gratia unionis est ipsamet Dei natura, & sanctitas increata, unita humanitati, & illi communicata, per unionem substantialem: Ergo à fortiori talis gratia essentialiter pugnat cum peccato, & cum illo, etiam de potentia Dei absoluta, stare nequit. Consequentia manifesta est, si enim participatio sanctitatis increatæ essentialiter excludit peccatum, & nequit cum ipso componi, etiam de absoluta Dei potentia; quanto magis id præstabit ipsamet sanctitas increata, substantialiter unita, & quanto majorem cum peccato habebit repugnantiam & impossibilitatem?

D Secunda ratio: Ex eo præcisè aliqua natura impeccabilis redditur, quod conjungitur immobiliter ipsi regulæ rectæ operationis; sicut è contra ea ratio est peccabilis, quia potest deviare à recta regula operationis: Sed humanitas Christi, ex unione ad Verbum præcisè, conjuncta est immobiliter primæ regulæ rectæ operationis, nimirum divinæ sanctitati & sapientiæ: Ergo præcisè ex vi talis unionis, seclusâ etiam visione beatificâ, redditur impeccabilis, subindeque implicat peccatum cum ea componi.

E Confirmatur: Humanitas Christi, ratione unionis hypostaticæ, perfectiori modo Deo conjungitur, qui est prima regula rectæ operationis, quam per visionem beatificam, cum prima unio sit substantialis, & altera solum accidentalis: Ergo si anima Christi, ex vi præcisè visionis beatificæ, ita redditur impeccabilis, ut repugnet peccatum cum ea componi, ut docent Scotus & Discipuli ejus, à fortiori

fortiori ex vi præcisè unionis hypostaticæ, ita fiet impotens ad peccandum, ut implicet eam peccare peccato cum tali unione composito.

30. Tertia ratio: Humanitas Christi per unionem ad Verbum sanctificatur infinite simpliciter: Sed implicat sanctitatem infinitam cum peccato componi: Ergo & unionem hypostaticam. Major patet ex dictis supra disp. 11. Minor verò probatur: Esse infinite sanctum est esse infinite mundum, cum sanctitas, juxta Dionysium, sit immaculata puritas; esse verò subiectum gravis culpæ, seu in statu peccati mortalis, est esse immundum simpliciter, cum peccatum essentialiter sit immunditia & turpitudine: Sed implicat esse infinite mundum, & esse immundum simpliciter: Ergo implicat infinitam sanctitatem cum peccato componi. Secundo, Implicat esse obiectum dignum complacentiæ divinæ infinite sine termino, & esse dignum displicentiæ & odio Dei: Sed quod est sanctum infinite simpliciter, est dignum complacentiæ divinæ infinite & sine termino; è contra verò subiectum peccato mortali infectum, est dignum odio & displicentiæ Dei: Ergo implicat esse sanctum infinite simpliciter, & esse peccato mortali infectum.

§. VI.

Statuitur secunda conclusio, & Christi humanitatem, nec in sensu diviso potuisse peccare, breviter suadetur.

31. **D**ico secundò: humanitas Christi, etiam de absoluta Dei potentia, peccare non potuit, peccato destruyente unionem hypostaticam.

Probatur conclusio ratione fundamentalis: Ut humanitas Christi posset peccare peccato destruyente unionem hypostaticam, deberet in tali humanitate, ut Verbo Divino hypostaticè unita, remanere potentia proxima & expedita ad peccandum: Sed talis potentia non remanet in humanitate Christi, ut unita Verbo Divino, sed per unionem hypostaticam ab ea excluditur: Ergo humanitas Christi non potest peccare peccato destruyente unionem hypostaticam. Major patet in homine iusto, qui idcirco potest peccare peccato destruyente gratiam justificantem, quia sub tali gratia retinet potentiam proximam & expeditam ad peccandum. Minor verò in qua est difficultas, multipliciter suadetur. Primò quia juxta Patres §. 2. relatos, humanitas Christi ex vi unionis hypostaticæ reddita fuit impeccabilis: At non posset dici talis, si in ea remaneret potentia proxima & expedita ad peccandum, quia posset peccare peccato destruyente unionem hypostaticam, ut patet eodem exemplo hominis iusti, qui licet non possit componere gratiam cum peccato, tamen quia in eo remanet potentia proxima & expedita ad peccandum, peccato gratiam destruyente, non est nec dici potest impeccabilis: Ergo &c.

32. Secundo, Humanitas Christi per unionem ad Verbum sanctificatur infinite simpliciter: At summa & infinita sanctitas, nedum peccatum actuale, sed etiam potentiam ad peccandum excludit: Ergo in humanitate Christi ut unita Verbo Divino non remanet potentia ad peccandum. Major patet, Minor probatur. Sanctitas ex suo conceptu dicit essentialiter oppositionem cum peccato, distantiamque & elongationem ab illo; ac proinde summa & infinita sanctitas, summam distantiam & elongationem à peccato, summam-

Tom. IV.

A que cum illo oppositionem importat: Atqui oppositio non solum cum peccato actuale sed etiam cum potentia peccandi, & elongatio non solum à peccato, sed etiam à potentia expedita peccandi, major est quam sola oppositio cum actu peccati, & sola elongatio ab illo: Ergo summa sanctitas, non solum opponitur cum actuale peccato, sed etiam cum potentia expedita peccandi.

33. Tertiò, Ideò in homine iusto manet potentia expedita ad peccandum, peccato gratiam destruyente, quia gratia ipsum sanctificans, cum non constituat suppositum, sed ei superaddatur, sicut alij habitus, quibus utimur quando volumus, ejus libertati subijcitur, subindeque sicut bonis operibus augeri potest, ita & malis ac peccaminosis destrui: Sed gratia unionis quæ humanitas Christi sanctificatur, opposito modo se habet, cum enim non superaddatur ad suppositum Christi, sed ipsum constituat, ejus libertati non subditur; unde sicut non potest cadere sub merito bonorum operum, ita nec per mala opera destrui: Ergo in humanitate Christi, ut unita Verbo Divino, non remanet potentia expedita ad peccandum, peccato destruyente unionem hypostaticam.

34. Quartò, Licet impedimentum actus non se tenens ex parte actus primi, non tollat potentiam in actu primo expeditam ad agendum: quare auxilium efficax, physicè in nostra sententia prædeterminans ad amorem, non tollit potentiam proximè in actu primo expeditam ad odium & negationem amoris, quia non se tenet ex parte actus primi ad agendum, impedimentum tamen ex parte actus primi se tenens, tollit in omnium sententia potentiam proximè expeditam ad actum: Sed implicat humanitatem Verbo hypostaticè unitam carere impedimento ad peccandum, ex parte actus primi se tenente: Ergo implicat illam esse unitam hypostaticè Verbo, & stante tali unione, habere expeditam ad peccandum potentiam. Major patet, Minor probatur. Implicat humanitatem esse Verbo unitam, & in eodem instanti non existere, vel saltem subsistere subsistentiæ Verbi, cum in instanti assumptionis humanitatis ad Verbum, non possit subsistere subsistentiæ creatæ, aliàs simul duplici subsistentiæ subsisteret, quod implicat, ut supra ostensum est: Sed subsistentia Verbi est impedimentum ad peccandum, ex parte actus primi se tenens, cum peccatum sit impossibile cum tali subsistentia, per quam humanitas Christi in actu primo completo ad operandum constituitur: Ergo implicat humanitatem esse Verbo unitam, & simul carere impedimento ad peccandum ex parte actus primi se tenente.

35. Denique, Implicat humanitatem, aut voluntatem humanam unitam subsistentiæ Verbi, habere potentiam expeditam ad peccandum, nisi Verbum, ut in illa subsistens, sit potens peccare: Sed Verbum ut subsistens in humana natura, nequit esse vel dici potens ad peccandum: Ergo implicat humanitatem, aut voluntatem humanam unitam subsistentiæ Verbi, habere expeditam ad peccandum potentiam. Minor constat: Cui enim essentialiter repugnat actus, non potest convenire potentia ad illum: Sed Verbo, ut subsistenti in humanitate assumpta, essentialiter repugnat peccatum: Ergo & peccandi potentia. Major verò in qua est difficultas sic ostenditur. Sicut voluntas unita subsistentiæ Petri, est voluntas ipsius Petri, ita voluntas humana unita subsistentiæ Verbi, est voluntas ipsius Verbi, ut subsistentis in humana natura: Sed implicat volunta-

LLII

tem unitam subsistentiæ Petri esse potentem ad peccandum, nisi Petrus sit potens peccare: Ergo implicat etiam humanitatem, aut voluntatem humanam unitam subsistentiæ Verbi, posse peccare, nisi Verbum ut in illa subsistens sit potens ad peccandum.

36. Dices, disparem esse rationem, nam Petrus non habet aliam naturam cui repugnet potentia ad peccandum, & ideo ex eo quod humanitas vel voluntas unita subsistentiæ Petri, sit potens peccare, necessario Petrus constituitur potens ad peccandum: Verbum autem in humanitate subsistens, habet aliam naturam cui essentialiter repugnat peccatum, & potentia ad peccandum; & ideo quavis humanitas seu voluntas humana unita subsistentiæ Verbi, sit potens peccare, non sequitur Verbum ut subsistens in humanitate posse peccare.

37. Sed contra: Humanitas unita subsistentiæ Verbi de facto peccante peccato cum unione composito, Verbum ut in illa subsistens, necessario denominaretur peccans, etsi Verbo alia conveniat natura cui essentialiter repugnat peccatum, ut supra ostensum est: Ergo si humanitas unita subsistentiæ Verbi esset potens ad peccandum, potentia cum unione composita, non posset Verbum in humanitate subsistens non esse potens ad peccandum, quamvis potentia peccandi Verbo repugnet secundum aliam naturam.

38. Confirmatur: Quia humanitas Verbo unita potuit mori, & de facto mortua est, de Verbo ut in illa subsistente fuit verum dicere, potuisse mori, & mortuum esse de facto; & tamen mors & potentia moriendi repugnant Verbo secundum naturam divinam: Ergo quamvis potentia ad peccandum repugnet Verbo ut subsistenti in natura divina, si tamen natura humana, ut subsistentiæ Verbi unita, fuit potens ad peccandum, de Verbo ut in illa subsistente, verum erit dicere potuisse peccare.

§. VII.

Solvuntur objectiones.

39. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Verbo in seipso non minùs repugnat mors quam peccatum: Sed non obstante quod mors Verbo in seipso repugnet, potest tamen in humanitate assumpta mori, & prout in illa subsistens, mortuum propriè denominari: Ergo pariter licet non possit in propria natura peccare, poterit tamen in humanitate assumpta peccare, & prout in illa subsistens, peccans & peccator propriè denominari.

40. Respondeo distinguendo Majorem: Non minùs intensivè, concedo Majorem: extensivè, nego Majorem, & concessa Minori, nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Summæ sanctitatis, vel supposito summæ sancto, ratione summæ sanctitatis, non solum repugnat denominari peccans in se, sed etiam illi repugnat denominari peccans in alio vel in alia natura: supposito autem viventi vitæ summæ & per essentiam, solum repugnat mori in seipso, non autem mori in aliena natura quam terminat; unde etiam equaliter opponantur intensivè, & respectu ejusdem naturæ, non tamen extensivè, & respectu ejusdem suppositi. Sicut ergo Deo qui est summa vita, licet repugnet mors ut ab illo causata in seipso, non tamen ut ab ipso causata in alio, Deus enim causat in hominibus mortem: peccatum verò neque in seipso neque

A in alio potest causare. Ita similiter non repugnat Verbo in aliena natura, nec ei repugnat, prout in illa subsistit, mortuum denominari: peccatum autem & denominatio peccantis, non solum repugnat Verbo in seipso, & ut subsistenti in divina natura, sed etiam in aliena natura, & prout subsistenti in illa. Cujus discriminis ratio supra fuit assignata, quia nimium mors est malum physicum & ad Deum ordinabile, unde sicut hac ratione potest illam in aliis causare, ita potest ab illa in alio denominari. Peccatum autem est malum morale, quod ad Deum nullatenus potest referri & sicut hac ratione non potest à Deo neque in se neque in alio causari, ita nec potest Deum vel in se vel in alio denominare.

B Objicies secundò: Suppositum vel persona, nec ut quo, nec ut quod influit in operationes propriæ naturæ, sed natura ipsa est adæquatam principium quo & quod suarum operationum: Ergo ex eo quod humanitas Verbo unita peccaret, non sequitur quod Verbum ut in illa subsistens in tale peccatum influeret, subindeque ruit præcipuum fundamentum nostræ sententiæ. Consequentia patet, Antecedens probatur. Variatio principii operandi, necesse est operationes variari: Sed variata subsistentia, non variantur operationes, nam actiones humanitatis Christi, ejusdem rationis sunt quoad physicam entitatem cum nostris operationibus, cum tamen subsistentia quæ humanitas Christi subsistit, diversæ rationis sit: Ergo suppositum neque ut quo neque ut quod influit in operationes propriæ naturæ.

C Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, distinguo Majorem: Variatio principii quo operandi, necesse est operationes variari, concedo Majorem. Variatio principii quod, & principio quo invariato, nego Majorem, & concessa Minori, nego Consequentiam. Cum enim principium quo sit adæquata virtus agendi, & specificandi operationes; personalitas autem vel subsistentia constituens suppositum, quod est principium quod operans, solum ut conditio ad operationes concurrat, inde fit quod quamvis subsistentia varietur, ut contingit in humanitate Christi, quia tamen humanitas & illius potentia ejusdem rationis sunt, non diversificentur tamen physice operationes. Potestque hæc solutio hoc exemplo illustrari. Apprehensio objecti, & illius propositio, est conditio essentialis boni, quod est objectum voluntatis, ut motivè & terminativè ad actum voluntatis concurrat; & tamen quamvis diversificentur essentialiter apprehensiones, si objectum propositum ejusdem rationis sit, actus voluntatis est ejusdem rationis; ut constat in actu dilectionis viæ, qui ejusdem speciei est cum dilectione beatifica, & tamen apprehensio fidei quæ regulatur in via, diversæ rationis est à visione beatifica, per quam regulatur in patria: quia tamen objectum per utramque regulam propositum, à quo ut à ratione formali sumitur species actus, est idem in ratione objecti, non variatur essentialiter dilectio. Pariter ergo in præsentī, quamvis subsistentia constituens principium quod operandi essentialiter varietur, quia tamen solum ut conditio ad operationem concurrat, & principium quo est adæquata ratio specificandi operationes, hoc invariato manente, operationes ejusdem rationis manent.

D Objicies tertio: Verbum potest permittere peccatum humanitatis assumptæ: Sed supposito tali permissione, illa humanitas peccare possit:

Ergo natura humana unita Verbo potest habere peccatum. Minor patet, Major verò probatur: Tum quia permittere peccatum non est intrinsecè malum, cum omnia peccata Deus permittat. Tum etiam quia posse peccata permittere in natura rationali, convenit Verbo ratione supremi dominij ex quo habet illam movere conformiter ad ejus naturam; & quia natura rationalis est libera, & de se indifferens ad bonum & malum, illi offerre concursum ad utrumque indifferentem: Ergo cum supposita etiam unione humanitatis ad Verbum, maneat Verbum supremus dominus illius, tali unione supposita, manet cum jure illi offerendi concursum indifferentem, & consequenter potens permittere in ea peccatum.

44. Respondeo negando Majorem, ad cujus primam probationem dicendum quod permittere peccatum in alienis voluntatibus, non est intrinsecè malum, sed bonum, vel saltem indifferens; at illud permittere in voluntate naturæ assumptæ, quæ est voluntas Dei, propter unionem ad esse personale Verbi Divini, est intrinsecè malum; unde non potest ex fine honesto fieri, sicut nec mentiri. Maxima ergo est differentia quoad hoc inter voluntatem humanam Christi, & alias five hominum, five Angelorum voluntates: nam respectu aliarum habet se Deus ut causa & provisor universalis, regens eas per generalem providentiam, ad quam pertinet permittere aliqua mala & peccata, ad manifestationem divinæ justitiæ & misericordiæ: respectu verò voluntatis Christi, se habet ut causa & provisor particularis, cum teneatur eam specialiter in suis operationibus dirigere, & specialem dicat habitudinem ad illam, tanquam proprium suppositum ipsius humanitatis assumptæ; ideoque non potest permittere illius peccatum, sed potius illud tenetur impedire, alioquin ipsi imputaretur, & tale peccatum non solum censeretur ab ipso permixtum, sed etiam volitum & factum. Unde D. Thomas 1. 2. quæst. 79. art. 1. ex eo probat Deum non esse causam peccati, etiam indirectè, quia licet possit vitare peccata,tribuendo hominibus auxilium ad evitandum peccatum, sed potius illud tenetur impedire, non tamen tenetur dare hujusmodi auxilium, nec vitare peccata.

45. Ad secundam probationem, concessa Antecedente, distingo Consequens: Supposita unione hypostatica, Verbum manet cum jure & potentia antecedenti offerendi concursum indifferentem, & permittendi peccatum in humanitate unita, & in sensu diviso unionis, concedo Consequentiam: cum jure & potentia consequenti, & in sensu composito unionis humanitatis ad Verbum, nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Non est de ratione supremi dominij posse potentia consequenti in quavis suppositione omne id quod potest ante talem suppositionem, sed tantum in omni suppositione retinere potentiam antecedentem: quod patet, nam Deus ratione supremi dominij est potens conferre gloriam hominibus, & illis gloriam negare; & adhuc suppositis meritis, & pacto seu promissione premiandi, perseverat hoc dominium; & tamen in dicta suppositione, non manet potens potentia consequenti ad negandam illis gloriam, sed tantum potentia antecedenti, quatenus potest jus in meritis fundatum destruere, & consequenter gloriam quam homo promeruit non conferre. Ita in præsentis contingit, Deus enim supposita unione humanitatis ad Verbum,

Tom. IV.

A manet potens potentia antecedenti ad offerendum humanitati concursum indifferentem, & permittendum in illa peccatum, quia potest unionem hypostaticam destruere, & hac destructione supposita, peccatum humanitati permittere; non tamen manet potens potentia consequenti, & in sensu composito unionis, ad permittendum peccatum humanitati unitæ. Unde obligatio gubernandi humanitatem, semperque illi conferendi auxilia determinata ad bonum, & negandi concursum ad malum, rectè in Verbo cum supremo dominio componitur: sicut obligatio remunerandi merita justorum, illis conferendo gloriam, componitur rectè in Deo cum ejus supremo dominio.

B Objicies quartò: Verbum Divinum de absoluta potentia assumere potuit naturam humanam existentem & subsistentem antea in suo naturali supposito, & peccato habituali infectam: Sed non esset necessarium, ut in eodem instanti quo talis natura assumeretur ad unionem hypostaticam, mundaretur à tali peccato: Ergo post unionem posset esse cum illo, atque à Deo natura humana unita Verbo potest habere peccatum, saltem de absoluta Dei potentia. Major patet, licet enim hoc non admodum decens, neque congruum ad hanc unionem videatur, & ideo factum non sit, nec secundum potentiam ordinariam fieri expediat, non tamen ita videtur indecens, aut à divina bonitate alienum, ut fieri absolute repugnet. Minor verò suadetur: Peccatum habituale non opponitur gratiæ unionis privativè, aut contradictoriè: Ergo in casu posito possent simul compari in eadè natura, saltem de absoluta Dei potentia. Consequentia patet, nam oppositio contraria non sufficit ad impossibilitatem essentialem, ut constat in calore & frigiditate, & aliis quæ contrariè opponuntur, & tamen possunt de potentia absoluta esse simul. Antecedens pro secunda parte videtur manifestum, oppositio enim contradictoria consistit in affirmatione & negatione formæ: peccatum verò habituale non consistit in negatione gratiæ unionis. Probatur autem quantum ad primam: Tum quia peccatum habituale consistit in privatione gratiæ habitualis, ut in Tractatu de peccatis docuimus; ac proinde non potest consistere in privatione gratiæ unionis, non enim potest in privatione vel carentia duplicis formæ consistere. Tum etiam, quia peccatum habituale existit in puro homine, in quo non est privatio gratiæ unionis, sed pura negatio: Ergo &c.

C Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: si enim Verbum assumeret naturam infectam peccato habituali, ex vi assumptionis, statim ab ea expelleretur tale peccatum, propter repugnantiam quam unio hypostatica habet cum illo; ut enim supra ostendimus, magis repugnat peccatum five actuale five habituale cum gratia unionis, quam cum gratia habituali, quæ tamen, juxta probabiliorem & communior sententiam, cum illo simul stare nequit, etiam de absoluta Dei potentia. Unde ad probationem in contrarium, dicendum primò, peccatum habituale opponi unioni hypostaticæ oppositione privativà, non strictà, quæ solum datur inter privationem & formam quæ privat, quam oportet esse debitam subiecto, qualiter unio hypostatica non est debita subiecto peccati habitualis; sed oppositione privativà largè sumptà, quæ consistit in impossibilitate privationis cum forma, five debita, five indebita sit; & quia peccatum habituale est in-

D Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: si enim Verbum assumeret naturam infectam peccato habituali, ex vi assumptionis, statim ab ea expelleretur tale peccatum, propter repugnantiam quam unio hypostatica habet cum illo; ut enim supra ostendimus, magis repugnat peccatum five actuale five habituale cum gratia unionis, quam cum gratia habituali, quæ tamen, juxta probabiliorem & communior sententiam, cum illo simul stare nequit, etiam de absoluta Dei potentia. Unde ad probationem in contrarium, dicendum primò, peccatum habituale opponi unioni hypostaticæ oppositione privativà, non strictà, quæ solum datur inter privationem & formam quæ privat, quam oportet esse debitam subiecto, qualiter unio hypostatica non est debita subiecto peccati habitualis; sed oppositione privativà largè sumptà, quæ consistit in impossibilitate privationis cum forma, five debita, five indebita sit; & quia peccatum habituale est in-

LLII ij

compatibile essentialiter cum gratia unionis, eò quod præsent effectus essentialiter repugnantes, consequens fit, ut illi opponatur privativè, non strictè, sed largè.

48. Secundo dici potest, peccatum habituale & gratiam unionis opponi contradiçtorie, non contradictione formali, sed virtuali; quia causant effectus formales inter se repugnantes, & contradiçtorie oppositos; nam gratia unionis reddit animam sanctam, mundam, Deo gratam, & objectum congruum amoris Dei specialis; è contra verò peccatum habituale eam reddit fadam, imundam, Deo invisam & exosam, ac objectum odij ejus specialis.

49. Obijcies quintò: Si propter aliquam rationem natura humana assumpta à Verbo peccare non posset, peccato cum unione hypostatica composito, maxime quia peccatum tribueretur supposito Verbi Divini, eò quod ei incumberet obligatio gubernandi humanitatem assumptam, eamque in officio continendi: Sed hæc ratio supponit falsum: Ergo &c. Major patet ex dictis supra §. 3. Minor verò suaderetur. Si ex unione hypostatica resultaret in Verbo aliqua obligatio dirigendi & gubernandi humanitatem assumptam, illa æquè primò & immediatè tribus personis competere: Sed ratione unionis humanitatis ad Verbum, non confurgit obligatio immediatè & æquè primò tribus personis conveniens, gubernandi humanitatem à Verbo assumptam, & vitandi in illa peccatum: Ergo in Verbo talis obligatio non datur. Minor videtur certa, nam unio non est communis tribus personis: Ergo ex illa nequit obligatio confurgere immediatè illis conveniens. Major etiam non minus apparet manifesta: Tum quia obligatio gubernandi humanitatem, si quæ in Verbo reperitur, illi convenit ratione voluntatis divinæ: Sed hæc est tribus personis communis, illisque immediatè conveniens: Ergo & obligatio. Tum etiam, quia omnis obligatio respicit operationem, vel carentiam operationis: Sed omnis operatio ad extra, & consequenter omnis carentia operationis, est communis tribus personis divinis, illisque immediatè conveniens: Ergo si datur aliqua obligatio in Verbo, quatenus Deo, gubernandi humanitatem, est communis tribus personis, & æquè primò illis competit.

50. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cujus probationem, respondent Suarez & alij ex Recentioribus, negando sequelam Majoris; existimant enim obligationem dirigendi humanitatem soli Verbo competere, non verò tribus personis divinis, ob rationem in objectione insinuatam; quia nimirum talis obligatio resultat ex unione humanitatis, quæ non est communis tribus personis, sed Verbo specialis.

51. Melius tamen respondetur cum aliis, ad hanc directionem teneri non solum Verbum, sed etiam Patrem, & Spiritum Sanctum, & operationes quibus humanitas assumpta regitur & gubernatur à Deo, non convenire Verbo immediatè, prout ab aliis personis distincto, sed immediatè tribus divinis personis, prout in una Deitatis essentia conveniunt: Nam hujusmodi operationes conveniunt Verbo ratione omnipotentie, ut communis tribus personis divinis, non ut terminatæ per subsistentiam personalem Verbi, aliàs ad illas nullo modo aliæ personæ concurrent; sicut actus generandi, quia non est ab essentia, ut communi, sed quatenus Patri propria, taliter Patri attribuitur, quod nullo modo convenit aliis personis: At

A quod Verbo convenit ratione omnipotentie, ut communi tribus personis, non convenit ipsi immediatè prout ab aliis personis distinguitur, sed omnibus personis prout sunt unum in Deitate: Ergo hujusmodi operationes non conveniunt immediatè Verbo, prout ab aliis personis distinguitur personaliter, sed omnibus personis, prout sunt unum in Deitate.

Confirmatur: Gubernare humanitatem est illam ad bonum movere, quod fit mediis divinis auxiliis: Sed hujusmodi auxilia sunt à Deo immediatè prout communi tribus personis: Ergo operationes quibus humanitas gubernatur à Verbo, non conveniunt ipsi immediatè, prout ab aliis personis distinguitur. Unde

B Ad objectionem in forma respondeo, negando Minorem, ad cujus probationem, concessa Antecedente, nego Consequentiam; licet enim titulus obligationis, nimirum unio humanitatis, specialiter Verbo conveniat, obligatio tamen non est specialis Verbo, sed communis tribus personis, illisque prout sunt unum in Deitate conveniens. Sicut licet ratione unionis ad Verbum confurgat in Deo obligatio congruentie, ut vult Scotus, vel connaturalitatis, ut alij existimant, ditandi humanitatem donis gratiæ, & beatificæ fruitione, illa tamen obligatio non est specialis Verbo, sed convenit immediatè huic Deo, ut tribus personis communi. Item ex operibus Christi, ratione conjunctionis ad Verbum, confurgit obligatio vel rigorosæ justitiæ, vel saltem fidelitatis, acceptandi eas in satisfactionem pro peccatis hominum; & tamen obligatio illa non est specialis Verbo, sed communis tribus personis: Ergo ex unione Verbo speciali, potest confurgere obligatio tribus personis communis, subindeque non rectè colligitur, obligationem dirigendi humanitatem assumptam in suis operationibus, soli Verbo competere, quia illi soli humanitas hypostaticè unita est.

§. VIII.

D Solvuntur alia argumenta contra secundam conclusionem fieri solita.

C Contra secundam conclusionem, in qua diximus humanitatem Christi non potuisse peccare peccato destruyente unionem hypostaticam, obijciunt primò. In humanitate Christi ut unita Verbo Divino remanet potentia peccandi: Ergo potest peccare, saltem in sensu diviso, seu peccato dividente ac destruyente unionem hypostaticam. Consequentia patet ex dictis supra §. 6. Antecedens verò in quo est difficultas, probatur multipliciter. In primis enim humanitati Christi ut Verbo unitæ conveniunt omnia prædicata essentialia naturæ humanæ, & omnes proprietates illius, ut Concilia & Patres docent, aliàs Christus non esset perfectus homo, quod est contra fidem, juxta illud Athanasij: *Perfectus Deus, perfectus homo*: Sed potentia peccandi est proprietas naturæ humanæ: Ergo illi ut Verbo unitæ convenit.

E Secundò. Posse peccare convenit humanitati ex conceptu entis finiti, non habentis esse à se & per essentiam, sed ex nihilo & ab alio: At humanitas Verbo unita est ens finitum, ab alio, & ex nihilo factum: Ergo in illa ut unita Verbo manet potentia peccandi.

Tertiò. Filius Dei assumpsit quidquid in nostra natura plantavit, ut docet Damascenus 13. de fide

cap. 6. Sed in nostra natura plantavit potentiam peccandi, nam potentia peccandi est à Deo, quamvis voluntas peccandi ab illo non sit: Ergo assumpsit talem potentiam, & consequenter convenit humanitati assumptæ.

Quartò, Christus Dominus habuit liberum arbitrium, ut de fide certum est, alioquin non potuisset mereri: Sed potentia peccandi est de ratione liberi arbitrij, cum de ratione libertatis sit indifferentia non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem, seu potestas eligendi bonum aut malum: Ergo in Christo fuit potentia peccandi.

Denique: Humanitati Christi per unionem hypostaticam non fuerunt communicatæ proprietates divinæ naturæ, illa enim ex vi talis unionis non est facta omnipotens, æterna, aut immensa: Sed impeccabilitas est proprietas naturæ divinæ: Ergo humanitas Christi ex vi unionis hypostaticæ non fuit reddita impeccabilis, subindeque post talem unionem, potentiam peccandi retinet.

54. Respondeo negando absolute Antecedens, nam potentia peccandi absolute dicit potentiam non solum remotam, sed etiam proximam, hoc est proximè in actu primo ad peccandum expeditam: licet autem in humanitate Christi fuerit potentia remota peccandi, non tamen fuit in illa potentia in actu primo ad peccandum expedita; & ideo absolute est negandum in humanitate Christi fuisse potentiam peccandi, ut docet D. Thomas in 3. dist. 12. quæst. 2. art. 2. Unde ad primam probationem in contrarium, concessa Majori, distinguo Minorem. Potentia peccandi remota est proprietas humanæ naturæ, concedo Minorem. Potentia proxima, hoc est in actu primo expedita, nego Minorem & Consequentiam. Vel distinguo Consequens distinctione Minoris, solum enim sequitur fuisse in humanitate Christi potentiam remotam peccandi, non potentiam proximam.

Ad secundam similiter distinguo Majorem: Posse peccare convenit humanitati ex conceptu entis finiti &c. si hoc intelligatur de posse remoto & abstracte à potentia impedita vel expedita, concedo Majorem: si de posse proximo & expedito, nego Majorem, & concessa Minori, distinguo Consequens distinctione Majoris. Ex eo igitur quod humanitas Christi non est à se, sed ab alio, illi solum convenit hoc quod est posse quantum est de se peccare, id est ex principiis intrinsicis & essentialibus non repugnare peccato, in quo consistit potentia remota peccandi; non autem competit illi potentia ad peccandum expedita, quia hujuscemodi potentia, præter rationem creaturæ factæ ex nihilo, & præter entitatem voluntatis creatæ, dicit negationem impedimenti ad peccandum, quæ carentia non reperitur in humanitate Christi, quia eo ipso quod uniatur Verbo Dei, impeditur ad peccandum, ut supra §. 6. declaravimus.

Ad tertiam, nego Majorem, nam ut docet D. Thomas in 3. dist. 12. quæst. 2. art. 2. ad 6. potentia peccandi, in quantum peccandi, non est à Deo, quamvis ab ipso sit quantum ad substantiam potentia peccandi. Sicut enim peccatum, quantum ad substantiam, id est quantum ad entitatem & actualitatem quam importat, est à Deo ut à prima causa efficiente, non autem quantum ad defectum moralem seu difformitatem à regulis morum, sive illa in privativo, sive in positivo consistat, ita & potentia peccandi quæ ab eo specificatur.

Tom. IV.

A Adde quod, cum Damascenus ait, quod Filius Dei assumpsit quicquid in nostra natura plantavit, loquitur de his quæ ad perfectionem pertinent, & compatible sunt cum unionem humanitatis ad Verbum, qualis non est potentia proxima peccandi.

B Ad quartam, nego Minorem, nam de ratione liberi arbitrij non est potentia peccandi, ut patet in Deo, in quo est perfectissime liberum arbitrium, & simul impotentia peccandi; unde ad libertatem non requiritur indifferentia quoad specificationem, quæ vocatur contrarietatis, ad bonum scilicet & ad malum contrarium, sed sufficit indifferentia circa bonum, quæ dicitur libertas contradictionis, quia absolute potest efficere aut non efficere actum bonum hic & nunc sub istis circumstantiis, quod in Christo reperitur, ut patet infra, cum de merito & libertate Christi agemus.

C Ad ultimam distinguo Minorem: Impeccabilitas ab intrinseco, & ex principiis essentialibus, est proprietas divinæ naturæ, concedo Minorem. Impeccabilitas ab extrinseco, & ratione alienius doni gratuiti ab extrinseco advenientis, nego Minorem & Consequentiam. Licet ergo humanitas Christi sit impeccabilis, quia tamen hæc impeccabilitas non convenit ei ex principiis intrinsicis & essentialibus, nec ab ea dimanat per modum proprietatis, sed provenit ex dono ab extrinseco adveniente, & gratuito à Deo communicato, nimirum à gratia unionis, non communicatur ei prædicatum proprium divinæ naturæ, nam illa ex principiis intrinsicis & essentialibus habet quod sancta & impeccabilis sit.

Obijcies secundo: Sicut peccatum habet repugnantiam cum gratia unionis, ita & cum gratia habituali, seu justificante: Sed homo iustus habens gratiam habitualement, potest peccare peccato mortali excludente talem gratiam: Ergo & anima Christi potuit peccare de potentia absoluta, amittendo unionem hypostaticam.

D Respondeo quod licet tam gratia habitualis quam gratia unionis opponantur peccato mortali, diversimodè tamen: nam gratia unionis ita illi opponitur, ut eam habens, nec in sensu composito, nec in sensu diviso peccare possit; ille verò qui gratia habituali præditus est, quamvis in sensu composito non possit peccare mortaliter, quia nimirum hæc duo simul sunt impossibilia, quod scilicet aliquis maneat in gratia habituali, & committat peccatum mortale, juxta illud 1. Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo non peccat, sed nec peccare potest, quia semen Dei manet in illo:* potest tamen peccare in sensu diviso, seu peccato excludente gratiam habitualement. Ratio autem hujus discriminis supra §. 4. insinuatæ est: Nam gratia habitualis non constituit suppositum, sed ei superadditur, sicut alij habitus; unde plures operationes procedere possunt à supposito, quæ à gratia habituali ut à principio formali non oriuntur, inter quas aliqua potest esse peccatum mortale, subindeque talem gratiam expellere. At verò gratia unionis, cum constituat suppositum, est principium quod omnium operationum quæ ab humanitate Christi procedunt; ideoque sicut operationes quæ à gratia habituali formaliter procedunt, sunt acceptæ Deo, nec possunt esse peccaminosæ, ita nec actiones elicite ab humanitate Christi, quæ longe perfectiori modo sanctificatur per gratiam unionis, quam homo iustus per gratiam habitualement.

LLII iij

57. Aliud etiam inter gratiam habitualement & gratiam unionis reperitur discrimen, propter quod humanitas Christi non potest peccare etiam in sensu diviso, seu peccato excludente gratiam unionis, sicut iustus potest peccare peccato mortali expellente gratiam habitualement: Nam gratia habitualis non immobilizat hominem in bono, bene tamen unio hypostatica, quia ut supra annotavimus, per unionem hypostaticam humanitas Christi coniungitur immobiliter primæ regulæ rectæ operationis, scilicet Deo, multoque perfectiori modo quam beati, per visionem beatificam; cum ista unio sit accidentalis, illa verò substantialis.

58. Obijcies tertio: Subsistentia Verbi Divini, ut unita humanitati, non immutat modum intrinsecum operandi illius: Sed humanitas de se est indifferens in actu primo ad peccandum: Ergo etiam ut unita Verbo retinet talem indifferentiam, subindeque proximam & expeditam peccandi potentiam. Minor patet, Major verò, in qua est difficultas, sic ostenditur. Subsistentia Verbi Divini unita humanitati, non est principium operandi, cum habeat rationem puri termini respectu illius: Ergo non immutat illam in ratione operativæ, nec per consequens modum intrinsecum operandi illius.

59. Respondeo negando Majorem, nam modus intrinsecus operandi voluntatis creatæ, est cum indifferentia exercitij & specificationis: licet autem subsistentia Verbi non determinet voluntatem humanam Christi quoad exercitium, determinat tamen illam quoad specificationem ad bonum, ac proinde immutat modum intrinsecum operandi humanitatis, impediendo indifferentiam specificationis. Ad probationem in contrarium, diltinguo Antecedens: Subsistentia Verbi Divini unita humanitati, non est principium operandi, ut principium quo, concedo Antecedens: ut complementum principij quo operativi, & constituens principium operans quod, nego Antecedens & Consequentiam; cum enim ad operationem concurrat non solum principium quo, sed etiam complementum illius, & principium quod, consequens fit ut subsistentia Verbi complens humanitatem, quatenus operativam, possit illam in ratione operativæ immutare, non positivè illam elevando ad altiores operationes, nec illam determinando quoad exercitium, sed impediendo ne peccet, eamque determinando quoad specificationem.

§. IX.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

60. Ex dictis colligitur primò, non solum implicare humanitatem Verbo unitam peccare actualiter, sed etiam esse in peccato habituali.

Patet hoc corollarium ex supra dictis: In primis enim sicut à peccato actuali homo denominatur peccans, ita ab habituali denominatur peccator: Sed humanitati assumptæ, seu Christo ut homini, non minus repugnat denominari peccatorem, quam peccantem, ut ex supra dictis constat: Ergo non minus implicat Christum in seipso peccato habituali, quam committere peccatum actuale.

Secundò, Peccatum actuale & habituale sunt ejusdem speciei, & eisdem præstant effectus, ut docetur in Tractatu de peccatis: Ergo cui repugnat peccatum actuale, habituale etiam necessario repugnare debet.

Tertiò, Peccatum habituale necessario suppo-

nit peccatum actuale præteritum, & moraliter in anima perseverans: Ergo si peccatum actuale repugnet essentialiter humanitati Verbo unitæ, peccatum etiam habituale illi essentialiter repugnare debet.

Denique, Humanitas Christi ex unione ad Verbum, redditur infinite sancta, & Deo summè grata & accepta: Sed implicat unum & idem subiectum esse infinite sanctum, ac Deo summè gratum & acceptum, & simul esse infectum peccato habituali, cum tale peccatum reddat animam immundam, & Deo invisam ac exosam: Ergo implicat humanitatem Verbo unitam, esse infectam peccato habituali.

61. Colligitur secundò, unionem hypostaticam, nec dum cum peccato gravi, quale est mortale, sed etiam cum culpa levi, qualis est venialis, esse incompossibilem: Nam peccatum leve non stat cum Deitate ut infinite sanctificante: Sed gratia unionis infinite humanitatem sanctificat: Ergo cum culpa etiam levi incompossibilis est. Minor patet ex dictis supra disp. 11. Major verò in qua est difficultas, ostenditur primò. Deitas ut infinite humanitatem sanctificans, reddit illam infinite gratam Deo, & obiectum dignum complacentiæ divinæ infinite: Sed implicat esse dignum complacentiæ infinite, & esse in peccato levi, cum tale peccatum constituat subiectum cui inest dignum aliquà displicentiæ Dei: Ergo implicat leve peccatum cum Deitate ut infinite sanctificante componi.

Secundò, Deitas ut sanctificans infinite, constituit humanitatem dignam gloriæ ut statim, conferendâ, peccatum autem leve reddit subiectum cui inest dignum dilatione gloriæ, & indignum gloriâ ut statim conferendâ: Sed implicat simul esse dignum gloriâ ut statim conferendâ, & indignum collatione gloriæ statim, non minus quam esse dignum & indignum gloriâ absolute: Ergo idem quod prius.

62. Tertiò, Deitas ut infinite humanitatem sanctificans, præstat illi sanctitatem quâ major extra Deum esse nec intelligi potest: Sed sanctitas essentialiter pugnat cum peccato levi, major est sanctitate cum solo peccato gravi essentialiter pugnant: Ergo Deitas ut infinite humanitatem sanctificans, essentialiter cum peccato levi pugnat, & cum ipso incompossibilis est.

Dices, Gratia habitualis non opponitur essentialiter peccato veniali, sed potest simul stare cum illo: Ergo & gratia unionis. Antecedens est certum de fide, dantur enim in homine iusto plura peccata venialia, juxta illud, *septies in die cadis iustus*. Consequentia verò probatur ex paritate rationis.

63. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem, plures enim sunt rationes discriminis. Prima est, quia ad exclusionem minoris malitiæ, requiritur major sanctitatis perfectio: sanctitas autem quæ est à gratia unionis, infinite excedit sanctitatem quæ est à gratia habituali, tum quia prima est substantialis, altera accidentalis. Tum etiam, quia gratia habitualis est solum diminuta quædam & imperfecta divinæ naturæ & sanctitatis participatio; per gratiam verò unionis fit communicatio totius Divinitatis, & totius sanctitatis divinæ, unde passim docent SS. Patres disp. 10. art. 1. relati, fuisse Christi humanitatem delibutam totius Divinitatis unguento: quare licet gratia habitualis non opponatur essentialiter peccato veniali, bene tamen gratia unionis.

DE IMPECCABILITATE CHRISTI. 639

Secunda, quia gratia unionis (ut supra dicebamus) reddit humanitatem Christi dignam gloriâ ut statim conferendâ; gratia autem habitualis non præstat dignitatem ad gloriam ut statim, sed suo tempore conferendam: unde licet prima gratia essentialiter opponatur peccato veniali, quod reddit dignum dilatione gloriæ, non tamen secunda.

Tertia, quia gratia habitualis non constituit obiectum dignum omni complacentiâ divinâ, sed aliquâ, nempe amabili, cum qua peccatum veniale stare potest: gratia verò unionis reddit humanitatem Christi dignam omni complacentiâ divinâ, juxta illud Matth. 17. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacuit*: implicat autem esse dignum omni complacentiâ divinâ, & affectum peccato veniali, cum illud constituat subiectum cui inest dignum aliquâ displicentiâ Dei.

63. Colligitur tertio: Quod etiam si humanitas Verbo unita traxisset ex Adamo originem per feminalem propagationem, non contraxisset, nec potuisset contrahere peccatum originale.

Probatur manifestâ ratione: Ut enim peccatum originale contrahatur in instanti generationis, oportet ut in illo instanti non sit forma tali peccato essentialiter opposita: Sed quamvis humanitas Christi formaretur medio semine virili, & consequenter traheret ex Adamo originem secundum feminalem rationem, dummodo tamen in eodem instanti Verbo Divino uniretur, esset in instanti generationis Christi, forma incompatibilis cum peccato originali, nempe gratia substantialis unionis, quæ non minus pugnat cum peccato originali, quam cum peccato actuali & habituali: Ergo nec contraheret nec posset contrahere peccatum originale.

64. Dices, D. Thomas hic art. 1. ad 2. & infra qu. 31. art. 1. ad 3. docet ideò non fuisse in Christo peccatum originale, quia Christus non fuit in Adamo secundum feminalem rationem, hoc est quia non descendit ab illo medio semine virili. Eandem rationem assignant SS. Patres, præsertim Augustinus lib. 10. de Genesi ad litteram cap. 18. his verbis: *Et quid incoquinatus illo uero Virginis, cuius caro etiam de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit: ut ne ipsum quidem corpus Christi ea lex severit in utero Maria, quæ in membris posita corporis mortis, repugnat legi mentis, &c.* Proinde corpus Christi, quamvis ex carne semina assumptum est, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat, nec ipsa caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Item Petrus Cellensis: *Venerit Dei Filius natus ex Virgine absque fermento culpa, & tulit de massa humana nature solummodo farinam incorrupte carnis, non fermentum, seu fomentum originalis peccati.* Cribro namque Spiritus Sancti ventilavit fursur iniquitatis de sacrosancta carne concepta in utero, & de utero Virginis. Censent ergo SS. Patres, quod si Christus ex Adamo traxisset originem, medio semine virili, fuissetque proinde in eo secundum feminalem rationem, contraxisset originale peccatum.

65. Sed nego Consequentiam: Negatio enim essendi in Adamo secundum feminalem rationem, est quidem causa sufficiens non contrahendi peccatum originale, juxta ordinem de facto constitutum à Deo, secundum quem soli illi contrahunt peccatum originale, qui descendunt ab Adamo, medio semine virili, non tamen est causa adæquata & unica illud non contrahendi, cum possit,

A suppositâ etiam illâ continentia, ejus contractio impediri per formam illi essentialiter oppositam, ut jam diximus. Quando verò D. Thomas & alij SS. Patres citati docent ideò non fuisse in Christo peccatum originale, quia Christus non fuit in Adamo secundum feminalem rationem, assignant rationem sufficientem ad excludendum peccatum originale a Christo, sed non excludunt aliam rationem, quâ nostrum corollarium probavimus.

ARTICVLVS II.

An in Christo fuerit vel potuerit esse fomes peccati?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia, & vera eliguntur.

Suppono primò contra Durandum, fomitem peccati, non esse ipsum appetitum secundum se sumptum, & secundum suam naturam, sed ut connotat privationem subjectionis ad rationem, ex defectu originalis iustitiæ provenientem.

Pater hæc suppositio primò quia in Adamo in statu innocentia non fuit fomes peccati, nec in beatis manet: Sed fuit in Adamo in statu innocentia, & in beatis post resurrectionem erit appetitus sensitivus, quantum est de se inclinans in obiecta sensibilia: Ergo fomes peccati non consistit in appetitu sensitivo, secundum se sumptum, & ut in obiecta sensibilia inclinante.

Secundò, Tridentinum sess. 6. decreto de peccato originali docet quod fomes dicitur peccatum, quia à peccato est, & in peccatum inclinat: Sed si consisteret in appetitu sensitivo, ut de se in obiecta sensibilia inclinante, effectus peccati originalis non esset, quandoquidem conveniret in statu innocentia ante peccatum: Ergo non consistit in appetitu sensitivo secundum se sumptum, & ut in obiecta sensibilia inclinante.

Tertio, Idem Concilium ibidem ait, fomitem in renatis relinqui ad agonem: At si esset ab appetitu sensitivo indistinctus, nihilque illi superadderet, falsum esset ad agonem relinqui, sed ideò renatis conveniret, quia à natura sensitiva separari non posset: Ergo fomes non est solus appetitus sensitivus secundum suam innatam inclinationem, sed ut connotat privationem subjectionis ad rationem, ex defectu seu privatione iustitiæ originalis provenientem.

Scio quosdam existimare fomitem peccati importare aliquam qualitatem morbidam, additam ipsi appetitui sensitivo, & augentem inclinationem ejus ad bona sensibilia, quam ex sibilo serpentis in eo productam asserunt: sed hæc sententia communiter à Theologis rejicitur, & impugnatur iisdem rationibus, quibus in Tractatu de peccatis ostendimus, peccatum originale in simili qualitate non consistere.

Suppono secundò: Fomitem peccati posse considerari dupliciter, videlicet in actu primo, id est secundum quod dicit potentiam ad habendum actum rationi difforem; & in actu secundo, ac secundum quod dicit actum ipsum rationi contrarium; & de utroque in præsentia esse questionem, & dubitari utrum in Christo existat, vel existere possit, saltem de absoluta Dei potentia. His præmissis.

Prima sententia, seu potius error, fuit Theodori

66.

67.

68.